



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Pelagivs Papa Clero Catinensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

bus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, distractionis illius non patitur in omnibus manere censuram, & ætas istius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur; vt ad diaconatum possit prouehi, temporum, vt dictum est, concedentes defectui concessisse nos noueris. & *infra*. * Micenam vero ancillam eius, de qua post transitum vxoris filios habere confessus est, iubemus, vt tua dispositione cuiquam monasterio continentium professura tradatur.

* al. Micenam

PELAGIVS PAPA
CLERO CATINENSI.

Qui in episcopum eligitur, &c.

TALIA quidem iamdudum ad fratrem & coepiscopum nostrum Eucarpum de visitatione Carmentis ecclesiæ scripta direximus, vt in eis iudicium nostrum potuissetis agnoscere. Verumtamen, quia quosdam ibi non sana intentione, sed prauis studiis dissensiones suscitare, vestra etiam relatione cognouimus, qui scientes se ad episcopatum nec ætate, nec scientia, nec vitæ meritis posse perducere, ad hoc tantummodo inquietare ecclesiam volunt, vt sibi de his, quæ ex ipsa præsumpta sunt, impunitatem futurus promittat episcopus, & fiat rapinæ securitas, episcopatus ambitio; hoc etiam vos duximus commonendos, vt decretum in Elpidium diaconum factum, & subscriptum ab omnibus, quos vestra relatio designauit, ad nos cum prædicti visitatoris epistola, & cum eodem diacono maturetis, Deo propitiante, perducere. & *post pauca*. Cum igitur huc filius noster magnificus vir Leo prætor venisset, retulit nobis de singulis quæ ibi mota sunt, & quomodo vota prope totius ciuitatis in Elpidio diacono concordarent. Vnde quia de memorati viri testimonio dubitare omnino non possumus; idcirco, sicut dictum est, Elpidium diaconum ad nos facite properare: nec expectetis vltius, vt admonitio ad eum nostra debeat * destinari. Quem tamen hoc per vestram dilectionem in præsentem iussione specialiter admonemus, ne cui se aliquid dare, vel daturum esse promittat: sed neque de ecclesiasticis præteritis causis aliquam securitatem cui-

8. q. 3. Talia.
Ans. l. 6. c.
40. Polyc.
l. 2. tit. 3.

* al. iterari. Emendatus est hic locus ex Anselmo, & Polycarpo.

40 PELAGII PAPÆ II. DECRETA.

quam audeat facere, siue promittere, aut quasi factus episcopus ea quæ direpta sunt non repetat, sed apud eos, a quibus direpta sunt, permanere libere patiatur: sciens, quod si tale aliquid fecit, vel fecerit, nec a nobis omnino permittitur valere ipsa promissio, & cum iudicii nostri, quod de ipso habuimus, damno, pastoralis consecrationis ordinem promereri non poterit.

PELAGIVS PAPA
CRESCONIO ILLVSTRI.

De exactionibus episcoporum.

10. q. 3. Il-
lud.
luc. p. 3. c.
136.

ILLVD te volumus modis omnibus custodire, ne qui episcoporum Sicilia de parochiis ad se pertinentibus nomine cathedratici amplius quam duos solidos præsumant accipere; neque compellere presbyteros, aut clerum parochiarum suarum supra vires suas eis conuiuia præparare.

PELAGIVS PAPA
BENEGESTO DEFENSORI.

Ante iudicem civilem clerici non accusentur.

11. q. 1. Ex-
perientia.

EXPERIENTIÆ tuæ præsentī auctoritate mandamus, vt in causis, in quibus quælibet ecclesiastici officii persona loco petitoris existit, quemquam laicum pulsatura apud suæ prouinciæ iudicem suas proponere actiones non deferat †. In iis vero negotiis, in quibus ecclesiastici officii persona pulsatur, totius submoto pulsationis obstaculo, ad episcopi, vel presbyterorum in loco, vbi quæstio vertitur, constitutorum occurrat indifferenter examen.

† Tex.
est. pro
hoc in l.
1. & l. in
crim. C.
de iur.
om. iud.
& l. si.
C. vbi
in rem
act. non
det.

ITEM SERGIO CANCELLARIO.

SI * quisquam clericus, siue inferioris, siue potioris gradus petitor existat, & contra laicam personam suas dirigit actiones; iste modis omnibus non alibi, quam apud prouinciæ iudicem negotium suum dicturus occurrat. Si quis autem laicus clericum cuiuscumque gradus duxerit esse pulsandum, ad episcoporum iudicium in eadem ciuitate vel territorio constitutorum proponat eas quas se habere

* Idem.